

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

11 September 1998

 Translate **ALL** four passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. The Black Death reaches Scotland

Anno domini M° CCC° XLIX tanta pestilencia et mortalitas hominum in regno Scocie erat, et eciam annis pluribus precedentibus atque subsequentibus generaliter in toto orbe prevaluerat, quanta a mundi primordio hucusque nusquam audiebatur aut in codicibus ad futurorum noticiam est comperta. In tantum enim pestis illa maliciam exercuit ut fere tertia pars generis humani debitum nature solvere compelleretur. Mirum eciam in modum ac insolitum nutu divino moriendi hoc accidit detrimentum, ut vix biduo ex quadam carnis inflacione turgida egrotantes cursum vite presentis elongarent. Sed hoc in mediocribus precipue ac popularibus, et raro in magnatibus, ubique locorum contingebat. Agitabantur denique universi quasi tanto pavore ut filii parentes in extremis laborantes, et e contrario metu quodam contagionis veluti a facie colubri fugientes, non audebant visitare. Quo in anno sicut Domino placuit de erumpnis vite presentis, secundum generalem condicionem carnis, xxiiii^{or} canonici professi claustrum canonicorum Sancti Andr' sunt educti, qui sacerdocio fungebantur singuli preter tres. Fuerunt quasi omnes viri sufficienter literati, in spiritualibus et temporalibus circumspecti, et morum conspicui honestate.

Cont'd.....

2. The study of philosophy and theology at Oxford

Item ordinet prior quiscunque qui studentibus Oxon' preerit infuturum, quod si quis ex studentibus nostri ordinis ad legendum philosophiam fuerit habilis, et tempus audiendi philosophiam priusquam in theologia gradum ascendere debeat non impleverit requisitum, philosophiam legat in loco quem prior ipse studencium magis viderit oportunum, artetque prior ceteros nostri ordinis in philosophia studentes, ut suas lectiones audiant de eodem, dum tamen a lectionibus ordinariis vel disputacionibus in vico scolarum aliisve actibus scolasticis per audicionem huiusmodi nullatenus retrahantur.

Item cum ars artificem habilem reddere ususque promptum efficere soleat, ut tam studentes nostri ordinis in philosophia, quam studentes in theologia, necnon qui de monasteriis ad studium transmittuntur, non ut in theologia apicem magistralem ascendant aut gradum baculariatus attingant, sed ut ibidem addiscant aliis debite proponere verbum Dei, in disputando et predicando habiliores efficiantur ac etiam prompiciores; statuimus ut studentes in facultatibus memoratis bis de ipsis, semel videlicet in theologia et semel de philosophia disputent singulis septimanis.

3. The birds praise God at the bidding of St. Francis

In volucres humana venit discretio: quidquid
 Ille iubebat, eas intellexisse putares.
 Nam species quamquam diversae, vox tamen una
 Omnibus, aut uni similis super aethera concors
 Effertur, nomenque Dei modulamine laudant,
 Quale sibi natura dedit; concentibus aer
 Acclamat, colles reboant, silvaeque resultant.

Cont'd.....

Delectatus eis plusquam citharaeque lyraeque
Cantibus et laetas tollens ad sidera palmas,
Per medias Franciscus aves utrobique canentes
Fertur, et immotas attractarique ferentes
Prolixae gaudet tunicae contingere limbo;
Et benedicit eas dulcique licentiat ore.
Permissae surgunt, pedibus tellure repulsa,
Celsaque supportant libratis corpora pennis.

4. How to make ink

Incaustum etiam facturus incide tibi ligna spinarum, in Aprili siue in Maio prius quam producant flores aut folia, et congregans inde fasciculos sine iacere in umbra duabus hebdomadibus uel tribus aut quatuor, donec aliquantulum exsiccentur.

Deinde habeas malleos ligneos, cum quibus super aliud lignum durum contundas ipsas spinas, donec corticem omnino euellas, quem statim mittes in dolium aqua plenum; cumque duo dolia uel tria seu quatuor aut quinque cortice et aqua repleueris, sine sic stare per octo dies, donec aqua omnem corticis sucum in se emordeat. Post haec mitte ipsam aquam in cacabum mundissimum uel in lebetem, et supposito igne coque; interdum etiam immitte de ipso cortice in cacabum, ut si quid suci in eo remansit, excoquatur; quam cum modice coxeris, eice, aliumque rursus immitte. Quo facto coque residuam aquam usque ad tertiam partem, sicque eiciens de ipso cacabo mitte in minorem, et tamdiu coque, donec nigrescat atque incipiat densescere, hoc omnino cauens ne aliquod addas aquae, excepta illa quae suco mixta est.